DISSERTATIONIS DE

QUINTILIANI DOCTRINA ET STUDIIS CAPITA DUO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
IN
ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVIII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXVI
H. XII L. C.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS BABUCKE
REGIMONTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

R. THIMM, STUD. PHIL.
M. ENGELHARDT, STUD. PHIL. SOD. SEM. PHIL.

REGIMONTI PR.
TYPIS EXPRESSIT GRUBER ET LONGRIEN. (G. LONGRIEN)

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

PROF. D^R. K. LEHRS

PROF. D^R. L. FRIEDLÄNDER

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Elegi longioris dissertationis de Quintiliani doctrina et studiis particulas duas, quas cum iis, quorum interest has res cognoscere, communicabo. Continebat autem opusculum meum quaestionem de oratione Quintilianea, Quintiliani iudicia de artibus litterisque, quaestionem de philosophia, quaestionem de moribus Quintiliani. Haec vero dissertatiuncula philosophiam Quintiliani et rationem inter Quintilianum et Graecos intercedentem tractabit.

De philosophia Quintiliani.

1. Quaedam de philosophia et de philosophis.

Originem philosophiae Quintilianus ex arte oratoria ducit. Eosdem enim antiquis temporibus eloquentes et sapientes fuisse dicit, deinde, postquam morum tractatio ab oratoribus in dies ad mercedem ac gloriam vergentibus, plane relicta sit, primo eam in porticus et gymnasia, tum in scholas philosophorum confugisse. Prooem. 13. 14. 17: „Fueruntque haec, ut Cicero apertissime colligit, quemadmodum iuncta natura, sic officio quoque copulata, ut iidem sapientes atque eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. Nam ut primum lingua esse coepit in quaestu institutumque eloquentiae bonis male uti: curam morum, qui diserti habebantur, reliquerunt. Ea vero destituta infirmioribus ingeniis velut praedae fuit. Inde quidam, contempto bene dicendi labore, ad formandos animos statuendasque vitae leges regressi partem quidem potiorem, si dividi posset, retinuerunt, nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli sapientiae studiosi vocarentur." „Nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam, ut dixi, partem oratoriae artis, meliorem praesertim, occupaverunt, et velut nostrum reposcere; non ut nos illorum utamur inventis, sed ut illos alienis usos esse doceamus." II, 21, 13: „— cum praesertim primo libro iam ostenderim, philosophos omissam hanc ab ora-

toribus partem occupasse, quae rhetoricee propria semper fuisset, ut illi potius in nostra materia versentur." X, 1, 35: „A philosophorum vero lectione, ut essent multa nobis petenda, vitio factum est oratorum, qui quidem illis optima sui operis parte cesserunt." XII, 2, 8: „Sed quia deserta ab his, qui se ad eloquentiam contuleruut, studia sapientiae non iam in actu suo atque in hac fori luce versantur, sed in porticus et in gymnasia primum, mox in conventus scholarum recesserunt: id quod est oratori necessarium, nec a dicendi praeceptoribus traditur, ab iis petere nimirum necesse est, apud quos remansit, evolvendis penitus auctoribus, qui de virtute praecipiunt." — Atqui apparet, ex hoc fonte philosophiam non effluxisse, praesertim cum initium philosophiae non ethicen, quae Quintiliano videtur, sed physicen fuisse sciamus. Documento sunt Ionici illi philosophi, quorum nomina afferre longum est. Sed etiam hac vera philosophiae origine omissa, quid est, quod primam illam disciplinam, quam ex eloquentia et sapientia compositam fuisse putat, appellet eloquentiam? quidni philosophiae potius nomine hanc disciplinam, quam quidem sibi ipse finxerat, exornavit atque a philosophis partem quandam philosophicae doctrinae, nempe eloquentiam, neglectam esse dicit, praesertim cum philosophiam ipse „meliorem, potiorem" (cf. loc. supra citat.) partem vocet? Nescio an verisimilius id dici possit, atque re vera a Cicerone dictum est. cf. XII, 2, 6: „Hinc etiam illud est, quod Cicero pluribus et libris et epistolis testatur, dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus fluere, ideoque aliquamdiu praeceptores eosdem fuisse morum atque dicendi." — Sed etiam saepius videbimus, Quintilianum suae artis amore constrictum philosophiae maculas quasdam interdum adspersisse. Quintilianus omni modo illud Catonis defendit: Orator vir bonus, dicendi peritus. Atqui philosophum esse dicit virum bonum, (II, 21, 12), ergo Quintiliani sententia orator est philosophus, dicendi peritus. cf. I, 10, 6. II, 21, 12. 13. En videmus fontem, ex quo illud odium philosophiae emanat; nam cum iam orator philoso-

phiam tamquam necessariam professionis suae partem suscipit, tum philosophia paene inutilis est et utique minoris aestimanda quam eloquentia. Quare identidem contemptu quodam philosophiam aggreditur. II, 20, 5: „Quod philosophi quidem multis et acutis conclusionibus colligunt, mihi vero etiam planiore hac proprieque nostra probatione videtur esse perspicuum.“ — Sectas quoque fere omnes, quas amatores philosophiae sequebantur, cum irrisione aut castigatione quadam commemorat. Epicuro opprobio facit fugam litterarum ac laboris, paene idem Aristippo, Pyrrhonem irridet, quod in iudiciis ei non liqueat, adesse iudices, reum, senatum, Academiam oratori utilissimam existimat propter morem in utramque partem disputandi, in Peripateticis notatur iactantia artis oratoriae, Stoicis adimit et scientiam et voluntatem bene dicendi, attamen acres subtilesque probationes et conclusiones iis attribuit. (XII, 2, 24. 25.)

Cognitione oratoris perpaucos modo philosophorum dignos arbitratur. (X, 1, 81 — 84.) Legendi et accuratius quidem cognoscendi sunt Plato, Xenophon, Socratici, Theophrastus, Stoici veteres, (X, 1, 123—131), Cicero, Brutus, Cornelius Celsus, Plautus Stoicus, Catius Epicureus, Seneca.

Permultis vero locis insectatur philosophorum vitia.

Primum iis opprobravit, quod fere omnes in verba magistri iurarent neque, perquirendi discendique libertate plane omissa, quidquam nisi semel perceptas partes sequerentur. XII, 2, 26: „Sed haec inter ipsos, qui velut sacramento rogati vel etiam superstitione constricti nefas ducant a suscepta semel persuasione discedere.“

Deinde reprehenditur illa consuetudo omnium philosophorum, quod certas quasdam res, velut τὸ καθῆκον, τὸ προηγμένον, τὸ ἀποπροηγμένον, non fere occurrentibus verbis significarent, sed iisdem semper uterentur. (Ita enim VII, 3, 16 intelligo). „Rarissima apud eos (oratores) reperietur illa ex consuetudine philosophorum ducta servitus. — est enim servitus — ad certa se verba adstringendi, idque faciendum in libris Ciceronis de Oratore vetat M. Antonius.“

Tum philosophorum infinitas ac perplexas disceptationes contentionesque respuit, VIII, 6, 2: „Circa quem (tropum) inexplicabilis et grammaticis inter ipsos et philosophis pugna est. — Nos, omissis quae nihil ad instruendum oratorem pertinent cavillationibus, necessarios maxime atque in usum receptos exequemur."

Contemptim quoque eorum negligentiam ac paene fugam reipublicae administrandae perstringit. XI, 1, 35: „At vir civilis vereque sapiens, qui se non otiosis disputationibus, sed administrationibus reipublicae dediderit, a qua longissime isti, qui philosophi vocantur, recesserunt, omnia quae ad efficiendum oratione, quod proposuerit, valent, libenter adhibebit." XII, 2, 6. 7: „Quapropter haec exhortatio mea non eo pertinet, ut esse oratorem philosophum velim, quando non alia vitae secta longius a civilibus officiis atque ab omni munere oratoris recessit. Nam quis philosophorum aut in iudiciis frequens aut clarus in contionibus fuit? Quis denique in ipsa, quam maxime plerique praecipiunt, reipublicae administratione versatus est?"

Denique arrogantia philosophorum castigatur. V, 11, 39: „Iam sententiis quidem poetarum non orationes modo sunt refertae, sed libri etiam philosophorum, qui, quamquam inferiora omnia praeceptis suis ac litteris credunt, repetere tamen auctoritatem a plurimis versibus non fastidierunt."

Postremo in mores philosophorum, praecipue sui temporis, acerrime invehitur. Prooem. 15: „Ac veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse, et, ut praeceperint, etiam vixisse facile concesserim; nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum et tristitiam et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus praetendebant." II, 15, 5: „In his, qui philosophorum nomine male utuntur, gravissima nonnunquam flagitia deprehensa sunt." XI, 1, 34: „Non enim illa laetiora (verba) — — conveniant barbae illi atque tristitiae" (scil. philosophiam ostentantium.) XII, 3, 12: „Alii pigritiae arrogantioris, qui subito fronte

conficta immissaque barba, veluti despexissent oratoria praecepta, paulum aliquid sederunt in scholis philosophantium, ut deinde in publico tristes, domi dissoluti captarent auctoritatem contemptu ceterorum. Philosophia enim simulari potest, eloquentia non potest." XII, 2, 9: „Utinamque sit tempus unquam, quo perfectus aliquis, qualem optamus, orator hanc artem (philosophiam) superbo nomine et vitiis quorundam bona eius corrumpentium invisam vindicet sibi ac velut rebus repetitis in corpus eloquentiae adducat."

Haec fere sunt, quae philosophis Noster opprobrio facit. Sane haud levia videntur, sed digna, quae accuratius perquirantur. Nam quid est, quod grammaticis identidem se praebeat amicissimum, philosophos paene odio insectetur? Qua in re permulti et doctissimi viri adulationem Domitiani suspicati sunt, qui edicto edito omnes philosophos ex Italia expulerat. Sueton. Domit. 10. Cui opinioni equidem non accedam. Nam sola iam illa persuasio, philosophos oratoribus optimam oratoriae disciplinae partem eripuisse, (cf. p. 6. 7) suaque ipsorum disciplina impudentissime gloriari, Quintilianum, qui oratoris officia ac studia ceteris omnibus longe antecellere existimavit, in philosophos stimulaverit. Ceterum mores eorum, qui Quintiliani tempore philosophorum nomen prae se ferebant, re vera pessimi fuerunt. id quod ab aliis quoque scriptoribus confirmatur. cf. Iuv. II, 8. 9: „Quis enim non vicus abundat tristibus obscoenis?" Sed paene maxime commovet me, ne adulationem in illa Quintiliani opinione suspicer, quod etiam multo post quam Domitianus perierat, plane eaedem rixae et contentiones inter rhetores ac philosophos deprehenduntur. cf. illud cum ironia quadam dictum apud Front. epist. Graec. 4: Οὐκ ἂν δὲ ἔξαρνος εἴην τὰ πρῶτα παρ' ἐμοὶ φέρεσθαι τὴν ἐκ παιδείας φιλίαν ἐνσταθεῖσαν. Παιδείαν δὲ ταύτην λέγω τὴν τῶν ῥητόρων. Αὕτη γὰρ δοκεῖ μοι ἀνθρωπίνη τις εἶναι· ἡ δὲ τῶν φιλοσόφων θεία τις ἔστω. Front. ad M. Caes. de eloqu. epist. 4, 4: „Tum si studium philosophiae in rebus esset solis occupatnm, minus mirarer. quod tanto

opere verba contemneres. Discere autem ceratinas et soritas et pseudomenus, verba contorta et fidicularia, neglegere vero cultum orationis et gravitatem et maiestatem et gratiam et nitorem, hoc indicat loqui te quam eloqui malle murmurare potius et friguttire quam clangere." cf. ibid. epist. 9, 5. 6. 10. Hae contentiones inter rhetores et philosophos magis ex ipsa temporum conditione, quae apud Romanos iam dudum rhetorica studia mirum quantum fovebat, (cf. Gell. I, 9, 10. XVIII, 7, 1—3), quam ex privatis inimicitiis aut aliqua adulatione effluxisse videntur.

Sed transeamus ad ipsam Quintiliani philosophiam exponendam, qua in re veterem illam partitionem philosophiae ego quoque sequar, ut deinceps physicen, ethicen, dialecticen tractem.

Caput I. De physice.

Physice continet quaestiones tres, de diis, de mundo de homine. Incipiamus a diis.

1. De diis.

Esse deos vel potius numen quoddam divinum, omnium hominum consensu Quintilianus adducitur, ut pro certis habeat. V, 10, 12: „Pro certis habemus — ea, in quae communi opinione consensum est, deos esse, praestandam pietatem parentibus." Sed quale illud numen sit, Quintiliano non plane liquet. XII, 2, 2 vocantur „*dii immortales.*" („Virtute homines ad deos immortales proxime accedunt.") Item XII, 11, 30. („Orandi maiestas, qua nihil dii immortales melius homini dederunt.") VI, pr. 4 („— si quis in me alius usus vocis, quam ut incusem deos superstes omnium meorum?") VI, pr. 3 (Quid nunc agam? aut quem ultra esse usum mei, diis repugnantibus, credam?"). Mala vero ubi a divino numine hominibus dari dicit, plerumque aliis vocabulis utitur. VI, pr. 1. (*Fata* intercipiunt hominem.) 2. („*Fortuna* me subito prostravit.") 8. (Insidians fortuna.) 14. (Frustra mala omnia ad crimen fortunae relegamus.) 15. (Imperitans fortuna.) Aliis locis, ubi benevolam sapientemque esse divinam potestatem te-

statur, vocabulum *„providentiae"* invenimus. I, 12, 19: „Dedit enim hoc providentia hominibus munus, ut honesta magis iuvarent." V, 12, 19: „— nec tam aversa unquam videbitur ab opere suo providentia, ut debilitas inter optima inventa sit." Alia etiam obscurior significatio interdum deprehenditur. XII, 1, 2: *„Rerum ipsa natura* in eo, quod praecipue indulsisse homini videtur quoque nos a ceteris animalibus separasse etc. —" XII, 11, 12: *„Natura* nos ad mentem optimam genuit." — Sed his omnibus contrarium aliquid et paene Christiano Deo simile reperitur II, 16, 12: „Et hercule *deus ille, parens rerum fabricatorque mundi,* nullo magis hominem separavit a ceteris, quae quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate." Varia igitur nomina habemus, deos immortales, fatum sive fortunam, providentiam, naturam, Deum; quibus unum idemque numen divinum significari iam ideo apparet, quod loquendi facultatem hominibus et a rerum ipsa natura (XII, 1, 2), et a Deo illo fabricatore mundi (II, 16, 12), et a diis immortalibus (XII, 11, 20) datam esse dicit. Atque in prooemio libri VI, ubi mortem filii tam vehementer luget, ut ipsum divinum regimen mundi invidia duci exclamet, modo dii (VI, pr. 3), modo fortuna (saepius), malorum tamquam auctores accusantur. Magis autem mirabimur, quod haec nomina tam diversi generis sunt. Nam vocabulum fabricatoris mundi, ut ita dicam personalem deum significat, quocum plures dii vix coniungi posse videntur. Sed cf. Lehrs. Pop. Aufs. Gott, Götter und Dämonen. 6: Er (der Grieche) konnte *einen* Gott wohl begreifen, aber seine geistige Organisation und Bedürfniss verabscheute es, ihn zu ergreifen. Ebenso gewiss aber auch ergriff sie Ordnung (Moira) Uebersicht, Einheit in der Vielheit, wie in einem Kunstbau: sein künstlerisches wie sein sittliches Gefühl, untrennbar bei ihm, derselben Wurzel entsprossend, trieben ihn dazu. Und das hat die Rede- und Anschauungsweise „Gott" allerdings früh gefördert und gleichsam herausgetrieben. cf. ibid. 5. 6. 10. Creatum quoque mundum esse a providentia, a deo (V, 12, 19), nos

vix dicamus Sed cf. Lehrs. loc. citat. 3. extr.: Wo der Römer die Macht und das Numen eines Gottes empfindet, empfindet der Grieche einen Dämon. Allerdings aber ging der Römer auch mit seinem Worte dahin fort, dass er die göttliche Wirksamkeit persönlich für die wirksame Gottheit setzen konnte, d. h. numen ganz wie Dämon gebrauchen: und auch geradezu für deus." Id autem Quintiliano sine dubio persuasum erat, esse numen quoddam divinum, quod mundum omnesque res pepererit et fabricaverit; etiamsi, qualis eius ratio ac natura esset, ei parum constabat.

Iam videamus, utrum Epicureorum more otiosos deos statuerit, an aliquam quasi provinciam iis attribuerit. De qua re Quintilianus in hunc fere modum disserit: Dii creaverunt mundum. V, 12, 19: „— nec tam aversa unquam videbitur ab opere suo providentia, ut debilitas inter optima inventa sit." II, 16, 12: „Deus ille, parens rerum fabricatorque mundi." Sed non modo creaverunt, etiam sempiterno regimine mundum gubernant. XII, 2, 21: „Nam si regitur providentia mundus: administranda certe bonis viris erit res publica." Atqui saepius ostendit, hoc postremum faciendum esse, ergo mundus providentia regitur. VI. pr. 4: „Quis enim mihi bonus parens ignoscat, si studere amplius possum; ac non oderit hanc animi mei firmitatem, si quis in me alius usus vocis, quam ut incusem deos superstes omnium meorum? nullam in terras despicere providentiam tester; etc. —"

Dii sunt boni, nam „virtute homines ad deos immortales proxime accedunt." (XII, 2, 2.)

Dii hominem ad virtutem praestandam destinaverunt. I, 12, 19: „Dedit enim hoc providentia hominibus munus, ut honesta magis iuvarent." XII, 11, 12: „Natura nos ad mentem optimam genuit.

Sed non boni modo, etiam benevoli dii sunt, nam pulcherrimam illam loquendi facultatem hominibus dederunt. II, 16, 12. XII, 1, 2. XII, 11, 30. (loc. supr. citat.)

Huc usque Quintilianum nostro quoque consensu pro-

sequemur. Sed uno totius operis loco plane aliam opinionem de divino imperio deprehendimus, dico pravam illam persuasionem, qua veteres nimiae felicitati hominum deos acerbissime invidere credebant. Totum enim prooemium libri VI refertum est querellis atque opprobriis, quod brevi temporis spatio dii coniugem duosque ex ea filios Nostro eripuissent. Cuius infelicitatis causam nullam esse confirmat, nisi quod uxore amatissima filiisque et ingeniosissimis et seni patri natis nimis beatus fuerit; quibus cum maximo suo dolore amissis insidianti fortunae nullam quasi ansam sese praebere et fatum contemnere posse. Ecce opinionem illam, per totam paene antiquitatem vagantem. Sed acerbissima aegritudine Quintilianus tenebatur, cum illa scriberet, neque tamen certum de hac re iudicium proferre audet. Sic enim eodem prooemio dicit §. 10: „Esse nescio quam, quae spes tantas decerpat, invidiam, ne videlicet ultra, quam homini datum est, nostra provehantur“ *).

Transeamus ad *religionem*. — Religionem diis praestandam esse sicut nusquam diserte dicit, ita hanc fuisse Quintiliani sententiam ex iudiciis de diis apparet. Verum enimvero a religione superstitio multum differt. VIII, 3, 35: „Est etiam quae περιεργία vocatur, supervacua, ut sic dixerim operositas, ut a diligenti curiosus et a religione superstitio distat.“ Superstitio ratione purganda est, XII, 2, 3: „Fortis erit, qui metus doloris, mortis, superstitionis nulla ratione purgaverit?“ X, 7, 14: „Nec fortuiti sermo-

*) VI, pr. 13, („Nam frustra mala omnia ad crimen fortunae relegamus“), quem locum fortasse ad hanc rem explicandam adsumere velis, mihi quidem non idoneus videtur. Nam si vocabulum „frustra“ nos ohne Grund verteremus, opinio Quintiliani sicut cum nostra de hac re persuasione plane congrueret, ita omnibus, quae priore parte prooemii dicta erant, subito repugnaret. Quare equidem verto umsonst, id est, ohne Zweck, id quod cum sequenti enuntiatione: „Nemo nisi sua culpa diu dolet“, melius consentit. Apud Spaldingium de hoc loco nihil inveni. — Item locus ille de diis, quem III, 7, 7—9 deprehendimus, ad nostram quaestionem de diis facit nihil. Ostendit enim, quomodo secundum vulgares opiniones dii laudandi sint, nihilque valet ad ipsius Quintiliani opinionem.

nis contextum mirabor unquam, quem iurgantibus etiam mulierculis superfluere video: cum eo quod, si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit, ut successum extemporalem consequi cura non possit. Deum tunc affuisse, cum id evenisset, veteres oratores, ut Cicero ait, dictitabant. Sed ratio manifesta est.“ Quare sine dubio plerasque fabulas de diis heroibusque reiecit, idque in duabus ipse ostendit. III, 7, 4. 5: „Ut desiderat autem laus, quae negotiis adhibetur, probationem, sic etiam illa, quae ostentationi componitur, habet interim *aliquam speciem probationis*, ut qui Romulum Martis filium educatumque a lupa dicat, in argumentis coelestis ortus utatur his, quod abiectus in profluentem non potuerit extingui, quod omnia sic egerit, ut genitum praeside bellorum deo incredibile non esset, quod ipsum quoque coelo receptum *temporis eius homines* non dubitaverint.“ XI, 2, 16: Quanquam mihi totum de Tyndaridis (Tyndaridarum gratiae erga Simonidem) fabulosum videtur, neque omnino huius rei meminit usquam poeta ipse profecto non taciturus de tanta sua gloria.“

Sed quamvis has fabulas refutet, tamen oraculis deos voluntatem suam cum hominibus communicare Quintiliano pro certo esse videtur. Legimus enim V, 7, 35. 36: „His adiicere si qui volet ea, quae divina testimonia vocaut, ex responsis, oraculis, ominibus: duplicem sciat esse eorum tractatum, generalem alterum, in quo inter Stoicos et Epicuri sectam secutos pugna perpetna est, regaturne providentia mundus; specialem alterum circa partes divinationis, ut quaeque in quaestionem cadit. Aliter enim oraculorum, aliter aruspicum, augurum, coniectorum, mathematicorum fides confirmari aut refelli potest, cum sit rerum ipsarum ratio diversa.“ Atqui cum generalem illam quaestionem consideramus, secundum Epicuri sententiam mundus nulla providentia regitur; itaque omnia quasi signa, quibus homines a diis impelli aut retineri credatur, plane inania ac futilia esse, hominumque credulorum errores habenda. Quintilianus autem de regimine mundi longe aliud sentit. Fieri igitur posse eiusmodi signa divina non negat. Ad

hoc illis contemptim commemoratis testimoniis aruspicum, augurum, coniectorum, mathematicorum opponit oracula; itaque Quintiliani de hac re sententia eo tendat, ut oraculis deorum voluntatem et significari posse et interdum re vera cum hominibus communicari affirmet. Et haec hac tenus de diis et de religione.

2. De mundo.

Mundus a diis creatus est, II, 16, 12. V, 12, 19 (cf. p. 13.) atque providentia et sapientia regitur. XII, 2, 21. (p. 13.) cf. V, 14, 7—9. Mundus ratione instructus est. V, 12, 19 (p. 205.) Mundus est animal. V, 14, 12: „Omnia animalia meliora sunt quam inanima, nihil autem melius est mundo, mundus igitur animal. Hic potest videri de re contentio. Potuit enim sic constitui ratiocinatio: Animal est mundus, omnia enim animalia meliora sunt, quam inanima. Ceterum haec propositio aut confessa est, ut proxima, aut probanda, ut Qui beatam vitam vivere volet, philosophetur oportet, non enim conceditur.“ Mundus solo ordine constat, cuius cum turbatione etiam mundus concidet. VII pr. 3: „Nec mihi videntur errare, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant, quo confuso peritura sint omnia.“

3. De homine.

Secundum finitionem Quintiliani homo est animal mortale, rationale, medium quoddam inter deos et bestias, quia ratione ac lingua a bestiis, mortalitate a diis differt. VII, 3, 15: „An, si non dixero, Homo est animal mortale rationale, non potero expositis tot corporis animique proprietatibus, latius oratione ducta vel a diis eum vel a mutis discernere?“ V, 10, 56: „Itaque a genere perveniendum est ad ultimam speciem, ut Homo est animal, non est satis, id enim genus est; mortale, etiamsi est species, cum aliis tamen communis finitio; rationale, nihil supererit ad demonstrandum id quod velis.“ cf. II, 16, 12. XII, 1, 2. Animi nostri origo divina. XII, 2, 21: „Si divina nostris animis origo: tendendum ad virtutem nec voluptatibus terreni corporis serviendum.“ De immortalitate animi du-

bitat Noster. Duobus locis animam immortalem esse concedere videtur. Epichirematis enim complura exempla enumerat, in quibus invenimus haec: „Anima immortalis est. Nam quidquid ex se ipso movetur, immortale est, anima autem ex se ipsa movetur, immortalis igitur est anima.“ V, 14, 10. 12: „Mors nihil ad nos. Nam quod est dissolutum, sensu caret; quod autem sensu caret, nihil ad nos.“ Sed V, 14, 13 has argumentationes ipse refutat: „— interim probanda (scil. propositio minor) ut illa, Quod est dissolutum, sensu caret; cum soluta corpore anima, an sit immortalis, vel ad tempus certe maneat, sit in dubio“.*)

Quintilianus ipse totam philosophiam dividit in naturalem, moralem, rationalem (XII, 2, 10), omnesque has partes ad oratorem pertinere docet. Quod cum minus ad propositum meum faciat, hic praetermittam. Illud tantum in fine partis cuiusque a me tractatae adiungam, quasnam quaestiones ei subiungat Quintilianus.

In quo memorabile et attendendum, quod physicae etiam moralem illam partem inesse putat, atque ut re conexam, ita oratori coniunctim tractandam utramque admonet. Sic igitur ille XII, 2, 20: „Pars vero naturalis, cum est ad exercitationem dicendi tanto ceteris uberior, quanto maiore spiritu de divinis rebus, quam de humanis loquendum est, tum illam etiam moralem, sine qua nulla esse, ut docuimus, oratio potest, totam complectitur. Nam si regitur providentia mundus: administranda certe bonis viris erit respublica; si divina nostris animis origo: tendendum ad virtutem nec voluptatibus terreni corporis serviendum.

*) Accuratius ut explicem, necessarium esse arbitror, quomodo exemplis illis in libris Quintilianeis, quae non propter sententiam ipsam, sed propter formam elocutionis operi immiscentur, ad quaestiones meas explicandas usus sim. Nam plane negligenda mihi haud videbantur. Atque Quintilianus ipse in hac re ducem se praebet. Exempla enim aut consulto affert falsa, nempe ut discipulos apertius admoneat recti (cf. locos supra tractatos), aut auctores eorum commemorat, nulla adiecta sententia sua, (cf. V, 3, 5) aut sine ulla admonitione sola exempla profert. Quorum generum postremo tantum usus sum, quoniam, quae sibi falsa viderentur, certe exempli causa sine reprehensione quadam discipulis non proposuisset.

An haec non frequenter tractabit orator? An de auguriis, responsis, religione denique omni, de quibus maxima saepe in senatu consilia versata sunt, non erit ei disserendum, si quidem, ut nobis placet, futurus est vir civilis idem?"

Ceterum magna admonitione haud eget, ne accuratam de hac re et de ceteris philosophiae partibus tractationem in libro Quintiliani exspectes; nam ea tantum commemorat, quibus oratori opus esse arbitratur.

Caput II. De ethice.

Eam partitionem ethices, quam homines doctissimi secuti sunt, ipse recipiam. Itaque prima pars doctrinam de voluntate sive de bono continebit, altera quaestionem de bono ad singulos homines pertinente, tertia ostendet, quomodo illud bonum in societate ac pluralitate hominum efficiatur; continebit igitur quaestionem de iure.

1. De bono.

Quintilianus omnes bonas artes „honesti" nomine complectitur. II, 4, 38: „Maxime vero commune est quaerere: An sit honesta? an utilis? (lex.) Nec ignoro plures fieri a plerisque partes, sed nos iustum, pium, religiosum ceteraque his similia honesto complectimur." Itaque praeter bonum ubique etiam utile spectandum est. Attamen honestum et utile saepenumero inter se pugnant, atque haud facile est, ibi rectum sequi. De discrimine honesti et utilis agit Quintilianus XI, 1, 8—15, nam id mihi omnes facile concedent, Quintilianum, cum hoc loco, quod expedit et quod decet saepius inter se pugnare ostendit, nihil tractare nisi hanc pugnam honesti et utilis. Plerumque illa coniuncta esse, nam quod deceat, fere semper prodesse. Sed cum inter se pugnent, id quod deceat, superius esse utilitate. Quod Socratis aliorumque exemplis confirmatur. „Hi vero (Socrates aliique homines probi) parva illa, quae abiectissimus quisque animus utilia credit, si cum virtute conferantur, despicienda iudicaverunt, ideoque perpetua saeculorum admiratione celebrantur." „Est autem, quod omnes et semper et ubique deceat, facere ac

dicere honeste, contraque neminem unquam ullo in loco, turpiter. Minora vero quaeque sunt ex mediis plerumque sunt talia, ut aliis sint concedenda, aliis non sint, aut pro persona, tempore, loco, causa magis ac minus vel excusata debeant videri vel reprehendenda." cf. II, 20, 1: „Mediae artes, quae neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles aut secus secundum mores utentium fiunt." Singula quaedam de hac re inveniuntur III, 8, 30. 31. Sed libenter Quintilianum hactenus secutus ultra equidem non pergam. Nam „aliquando bonis quoque parum decora suadenda esse" contendit. III, 8, 41. seqq. Pergit autem: „Sed quia est altior quaestio nec tantum ad suasorias pertinet, destinatus est mihi hic locus duodecimo, qui summus futurus est, libro." Hunc locum invenimus XII, I, II seqq. Incipit vero hoc modo: „Bonus quidem dicet saepius vera atque honesta. Sed etiam, si quando aliquo ductus officio (quod accidere, ut mox docebimus, potest.) falsa haec affirmare conabitur, maiore cum fide necesse est audiatur." Quid? ipsa virtute utemur ad falsa ac mendacia confirmanda? Sed longum est per singula quaeque Quintilianum sequi et refutare. Quare ea tantum afferam, quae de hac re ipse disseruit cf. XII, 1, 33—45. Mendaciis maxime in defensionibus opus esse. Velut si quis tyrannum occiderit, si quis alicuius rei accusetur, quae per se bona iudicibus videatur mala, falsis uti licere. Ad hoc melius esse homines noxios mutari in bonam mentem quam puniri. Interdum ducem egregium et civitati utilissimum manifesti criminis accusari. — Sane oratores hoc mentiendi auxilio usos excusabimus, ad virum bonum mendacia nunquam pertinebunt. Neque ipse Noster cuiquam persuadebit, cum XII, 7, 7: „Et certe, inquit, non convenit ei, quem oratorem esse volumus, iniusta tueri scientem. Nam si ex illis, quas supra (XII, 1, 33—45.) diximus, causis falsum tuebitur: erit tamen honestum, quod ipse facit." III, 7, 25: „Idem praecipit illud quoque (quod mox Cornelius Celsus prope supra modum invasit) quia sit quaedam virtutibus ac vitiis vicinitas, utendum proxima derivatione

verborum, ut pro temerario fortem, pro prodigo liberalem, pro avaro parcum vocemus; quae eadem etiam contra valent. Quod quidem orator, id est vir bonus, nunquam faciet, nisi forte communi utilitate ducetur." At ipse XI, 1, 9 dixerat: „Quotiens pugnabunt (scil. quod decet et quod expedit), vincet utilitatem quod decet." cf. etiam Rosenkranz Syst. der Wissensch. §. 669: Das Wahre ist eine positive Bedingung des Guten. Als Irrthum kann die Negation des Wahren ethisch schuldfrei sein; als Lüge aber ist sie, indem mit dem Wahren, zugleich mit dem Guten, in Widerspruch. Licentiam vero mentiendi etiam Quintilianus nullo modo defendit; immo gravis vir veritatem diligat et sequatur. Quare ne iuret quidem, nisi ubi necesse est, (IX, 2. 98: „Nam in totum iurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit.") scilicet quod leves tantum ac mendaces homines ultro prolato iureiurando dicta sua tueri conantur.

Bono oppositum, etiamsi ex eodem voluntatis fonte ortum est *malum*. — Natura nostra sine dubio ad vitia magis quam ad virtutem inclinat, neque id verum fuerit, quod XII, 11, 12. 13 legitur. „Adeo discere meliora volentibus promptum est, ut vere intuenti mirum sit magis illud, malos esse tam multos. Nam ut aqua piscibus, ut sicca terrenis, circumfusus nobis spiritus volucribus convenit: ita certe facilius esse oportebat secundum naturam quam contra eam vivere." — Malus homo mutari potest in bonum, nisi semper, saepius tamen. XII, 1, 42: „Ad hoc nemo dubitabit, quin, si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos esse magis e re publica sit quam puniri." — De poenitentia et de poena, quibus malum deletur, postea dicam.

Iam transeamus ad quaestionem de *summo bono*. Qua in re identidem cum iis pugnat, qui summum bonum in voluptate ponebant. V, 11, 35: „Cui rei facillime occurrit ex dissimilibus argumentatio: Non idem est dominum cum ancilla coisse, quod dominam cum servo; nec, si mutis

finis voluptas, rationalibus quoque; quin immo ex contrario: Quia mutis ideo non rationalibus." XII, 2, 21: „Si divina nostris animis origo: tendendum ad virtutem nec voluptatibus terreni corporis serviendum." Ii quoque errant, qui externa commoda, velut divitias, iudicant bona. V, 4, 25: „Syllogismus talis: Solum bonum virtus, nam id demum bonum est, quo nemo male uti potest; virtute nemo male uti potest, bonum est ergo virtus. Enthymema ex consequentibus: Bonum est virtus, qua nemo male uti potest; et contra, Non est bonum pecunia; non enim bonum, quo quisque male uti potest; pecunia potest quis male uti, non igitur bonum est pecunia." Ea quoque, quae extra nos sunt bona, per se nihil valent, sed ipso usu hominum aut bona aut mala fiunt. III, 7, 13. 14: „Fortuna vero tum dignitatem affert, ut in regibus principibusque, (namque est haec materia ostendendae virtutis uberior) tum quo minores opes fuerunt, maiorem bene factis gloriam parit. Sed omnia, quae extra nos bona sunt quaeque hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, sed quod his honeste sit usus. Nam divitiae et potentia et gratia, cum plurimum virium dent in utramque partem, certissimum faciunt morum experimentum, aut enim meliores propter haec aut peiores sumus." Immo solum bonum est virtus. cf. V, 14, 25. (loc. p. 20 citat.) Atque hac ipsa virtutis mentione ducimur ad alteram ethices partem, quae erat de bono, quod ad singulos homines pertinet. Maximam enim huius quaestionis partem continet virtus.

De virtute.

Optimus quisque id aget, ut virtutem sequatur. — Sed nihil nisi *sola virtus* expetenda est; neque enim aliqua commoda neque voluptas, quam ex virtute percipimus, eius finis dici possunt. V, 14, 21: „Expugnatur assumptio omnibus iis, quae de refutatione diximus. Et ratio quidem nonnunquam est vera, cum eius propositio vera non sit; interim verae propositionis falsa ratio est. Virtus bonum est, verum est; si quis rationem subiiciat, quod ea locupletes faciat: verae intentionis falsa sit ra-

tio." XII, 11, 29: „Neque erat difficile vel veteribus vel novis exemplis palam facere, non aliunde (quam ex eloquentia) maiores opes, honores, amicitias, laudem praesentem, futuram hominibus contigisse: nisi indignum litteris esset, ab opere pulcherrimo, cuius tractatus atque ipsa possessio plenissimam studiis gratiam refert, hanc minorem exigere mercedem, more eorum, qui a se non virtutes sed voluptatem, quae fit ex virtutibus, peti dicunt." Finem igitur virtus continet in se ipsa.

A natura ipsa geniti sumus ad virtutem, et magis mirum est, quod tam multi contra naturam quam secundum naturam vivere malunt. XII, 11, 12. 13. (loc. p. 20 citat.) Atque nisi hoc nos commovet, ut virtutem sequamur, id saltem spectemus, quod virtute ad deos efferimur. XII, 2, 2: „Virtus qua nihil homini, quo ad deos immortales propius accederet, datum est."

Atqui hominum innumerabilium multitudinem cum intuemur, quot inter tam multa milia bonos esse arbitramur? Nonne et antiquorum sapientum nonnulli, et recentiorum permulti hominem natura ipsa malum esse meramque virtutem nunquam adepturum esse iure confirmasse videntur? Sed mirum esset, quod natura virtutem nos posceret, ipsaque nos impediret, quominus eam consequeremur. Quare Quintilianus haud iniuria, opinor: „Nam si natura, inquit, non prohibet et esse virum bonum et esse dicendi peritum cur non aliquis etiam unus utramque consequi possit?" XII, 1, 31. Quamquam iter ad virtutem nos ducens neque breve neque planum est, sed firma voluntate rectique immota cupidine nobis opus est, ut obstantia vitia detrudamus viamque multis impedimentis clausam aperiamus. XII, 11, 11. 12: „Nam id quod prius quodque maius est, ut boni viri simus, voluntate maxime constat, quam qui vera fide induerit, facile easdem, quae virtutem docent, artes accipiet. Neque enim aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt, quae promuntur, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam quod repugnamus; brevis est institutio vitae honestae

beataeque, si credas." cf. tamen de his postremis p. 20. —

Virtus igitur constat *voluntate*. Quare priusquam ad ipsam virtutem accedamus, voluntatem nostram ad rectum honestumque perducendam esse apparet. Itaque a pueris nos Quintilianus honestis exemplis instituendos putat, ut animus adhuc rudis et qui facillime excoli possit, honestis assuescat. I, 8, 4: „Cetera admonitione magna non egent; in primis ut tenerae mentes tracturaeque altius, quidquid rudibus et omnium ignaris insederit, non modo quae diserta, sed vel magis, quae honesta sunt, discant."

Hoc quoque Quintiliano concedemus, rectam *voluntatem doctrina adiuvari*, virtutem igitur perficiendam esse doctrina. XII, 2, 1: „Quando igitur orator est vir bonus, is autem citra virtutem intelligi non potest, virtus, etiamsi quosdam impetus ex natura sumit, tamen perficienda doctrina est: mores ante omnia oratori studiis erunt excolendi, atque omnes honesti iustique disciplina pertractanda." Sed longius procedentem iam non sequar; pergit enim „sine qua nemo nec vir bonus esse nec dicendi peritus potest." Nam ut hoc postremum de peritia dicendi iure dici potest, ita prius illud de viro bono mihi quidem falsum videtur. Interrogat Quintilianus hoc ipso loco, XII, 2, 3: „Abstinens erit, qui id ipsum, quid sit abstinentia, ignorat?" Poterit esse abstinens. „Et fortis, qui metus doloris, mortis, superstitionis nulla ratione purgaverit?" Certe. „Et iustus, qui aequi bonique tractatum, qui leges, quaeque natura sunt omnibus datae, quaeque propriae populis et gentibus constitutae, nunquam eruditiore aliquo sermone tractarit?" Sine dubio iusti esse poterunt, qui harum rerum noverint nihil, vel potius qui has res nunquam sunt edocti. Quae vero de hac re sibi opponi posse ipse dicit, sane facillima sunt, quae refutentur. „Nisi forte inquit, accedimus iis, qui natura constare mores et nihil adiuvari disciplina putant; scilicet ut ea, quae manu fiunt, atque eorum etiam contemptissima confiteantur egere doctoribus, virtutem vero, qua nihil homini, quo ad deos im-

mortales propius accederet, datum est, obviam et illaboratam, tantum quia nati simus, habeamus.“ XII, 2, 2. Quis hoc dicet! Sane falsum hoc; sed id non minus falsum, non posse virum bonum fieri sine doctrina honesti et iusti. Virtus enim, sicut ipse dixerat, constat voluntate; hic vero eam ponit in cognitione. Ceterum auctorem clarissimum Quintilianus secutus esse videtur, quoniam etiam Socrates virtutem cognitione constare censet. Sed iam Plato hanc sententiam accuratius circumscripsit; quaeque apud Platonem de hac re inveniuntur, libenter recipiamus. cf. Zeller Gesch. d. griech. Phil. 2. Th. 1. Abtheil. p. 654: Sokrates hatte die Tugend ganz und gar ins Wissen gesetzt; er hatte ebendeshalb behauptet, dass es in Wahrheit nur Eine Tugend geben könne, und dass auch die Anlage zur Tugend bei Allen gleicher Art sein müsse; er hatte endlich von der Tugend vorausgesetzt, dass sie sich ebenso, wie das Wissen, durch Unterricht erzeugen lasse. In allen diesen Beziehungen folgte ihm ursprünglich auch Platon, und den gewöhnlichen Vorstellungen gegenüber würde er seinen Standpunkt auch später als im Wesentlichen richtig anerkannt haben. Aber eine reifere Erwägung liess ihn in der Folge die sokratischen Lehren vielfach beschränken und näher bestimmen. Er überzeugte sich, dass neben der vollendeten Tugend, welche sich freilich nur aufs Wissen gründen lasse, die unwissenschaftliche der gewöhnlichen Menschen doch auch ihren Werth habe, dass nur jene auf Unterricht, diese auf Uebung beruhe, und dass diese gewohnheitsmässige Tugend der höhern als ihre unerlässliche Vorstufe vorangehe.“ Haec si Quintilianus explicasset, libenter eum secuti essemus.— Cetera vero de virtute dignissima sunt, quae et audiantur et percipiantur. Tendentibus ad virtutem id ipsum commendari potest, quod oratoribus praecipit, ut ceteris se comparent, „necesse est enim nimium tribuat sibi, qui se nemini comparat,“ I, 2, 18, et ambitio saepe virtutes parit. I, 2, 22: „Licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.“

Atque ne desperet quisquam de virtute obtinenda. XII, 1, 42: „Ad hoc nemo dubitabit, quin, si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint, sicut posse interdum conceditur, salvos esse magis e republica sit quam puniri.“ XII, 1, 31: „Quare iuventus, immo omnes aetates, (neque enim rectae voluntati serum est tempus ullum) totis mentibus huc tendamus, (scil. ad virtutem) in hoc illaboremus; forsan et consummare contingat.“

Virtus in singulas quasi partes dispertiri solet, quarum praecipuae quatuor illae sunt, quas Plato σοφίαν, ἀνδρείαν, σωφροσύνην, δικαιοσύνην vocavit. Etiam in Quintiliani libro saepius complures virtutes conseruntur et comprehenduntur. Prooem. 12: iustitia, fortitudo, temperantia. III, 7, 15: fortitudo, iustitia, continentia. V, 10, 57: iustitia, fortitudo, constantia, continentia. XII, 2, 17: iustitia, fortitudo, abstinentia, temperantia, pietas. XII, 2, 29. 30: fortitudo, iustitia, fides, continentia, frugalitas, contemptus doloris ac mortis. Quos locos intuentibus mirum videatur, quod nusquam mentio fit de sapientia; et nescio an consulto Quintilianus sapientiam virtutum numero exemerit. Nam si virtus doceri potest, quod eum contendisse supra ostendi, sapientia necessario virtutum maxima est omnesque ipsa continet. Itaque inter singulas enumerari non potest. — Haec hactenus de virtute.

Sed etiam qui proxime ad virtutem accessit, saepe incidit in mala et vitia. Promptissimum vero certissimumque malorum indicem habemus *conscientiam*. Quare quaestio de conscientia cum quaestione de virtute arcte cohaeret. De qua re cf. XII, 1, 3. 7: „Nam certe neque intelligentiam concesseris iis, qui proposita honestorum ac turpium via, peiorem sequi malent, neque prudentiam, cum in gravissimas frequenter legum, semper vero malae conscientiae poenas a semet ipsis improviso rerum exitu iuduantur. — „Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens. Nam et cum insidiatur: spe, curis, labore distrin-

gitur; et iam cum sceleris compos fuit: sollicitudine, poenitentia, poenarum omnium expectatione torquetur."

3. De iure.

VII, 4, 5. 6: „Iustum omne continetur natura vel constitutione; natura, quod secundum cuiusque rei dignitatem. Hinc sunt pietas, fides, continentia et talia. Adiiciunt et id, quod sit par. Verum id non temere intuendum est. Nam et vis contra vim et talio nihil habent adversum eum, qui prior fecit, iniusti; et non, quoniam res pares sunt, etiam id est iustum, quod antecessit. Illa utrinque iusta, eadem lex, eadem condicio; ac forsitan ne sint quidem paria, quae ulla parte sunt dissimilia. Constitutio est in lege, more, iudicato, pacto." XII, 3, 6: „Namque omne ius, quod est certum, aut scripto aut moribus constat; dubium aequitatis regula examinandum est."

Si ius violatur, quasi restituendum est *poena*. Nam etiamsi mali in bonas artes mutari possunt et ipsos iam sua conscientia puniri scimus, tamen poena nullo modo summovenda est. Poena enim, sicut inter doctissimos constat, non solum mores malorum corriget atque in melius vertet, sed etiam violatum ius quasi restituet ac redintegrabit. Quocum illud Quintilianeum, nocentes salvos fieri magis e republica esse quam puniri, (XII, 1, 42) parum congruit. Sed ipse longe aliter disserit XII, 7, 1. 2: „Nam et leges ipsae nihil valent, nisi actoris idonea voce munitae; et si poenas scelerum expetere fas non est: prope est, ut scelera ipsa permissa sint: et licentiam malis dari, certe contra bonos est. Quare neque sociorum querellas nec amici vel propinqui necem nec erupturas in rempublicam conspirationes inultas patietur orator, non poenae nocentium cupidus, sed emendandi vitia corrigendique mores. Nam qui ratione traduci ad meliora non possunt, solo metu continentur." Ubi vero accusandorum coërcendorumque malorum officium uni magistratui, sicut apud nos, non traditum est, plurimi interest, optimum quemque id munus quasi suum suscipere; itaque bonos cives Quintilianus adhortatur ad accusandos

malos. XII, 7, 1. 3: „In quibus (suscipiendis causis) defendere quidem reos profecto quam facere vir bonus malet, non tamen ita nomen ipsum accusatoris horrebit, ut nullo neque publico neque privato duci possit officio ut aliquem ad reddendam rationem vitae vocet. — „Itaque ut accusatoriam vitam vivere et ad deferendos reos praemio duci, proximum latrocinio est: ita pestem intestinam propulsare, cum propugnatoribus patriae comparandum."

Iure constant *leges*. „Lex omnis aut tribuit aut adimit aut punit aut iubet aut vetat aut permittit". VII, 5, 5. Atqui verba legum interdum obscura aut ambigua esse possunt. Quare in legibus „scripti et voluntatis frequentissima inter consultos quaestio est". De qua re agit VII, 6. Maxime voluntatem legislatoris spectandam esse ostendit; nam et qui voluntatem et qui ipsum scriptum defendit, ea nititur. VIII, 6, 9: „Sed ut, qui voluntate nitetur, scriptum, quotiens poterit, infirmare debebit: ita qui scriptum tuebitur, adiuvare se etiam voluntate temptabit." — Sequenti porro capite leges inter ipsas contrarias tractat. „Omnibus autem manifestum est, nunquam esse legem legi contrariam iure ipso, quia, si diversum ius esset, alterum altero abrogaretur, sed eas casu collidi et eventu." Ouod cum fiat, item recedendum esse ad legislatoris voluntatem.

Sed fere plurimum valet quaestio de iure ad *res publicas*. Quare videamus, quae de rebus publicis Quintilianus senserit.

Hominibus, mente ac ratione praeditis, indignum est, sicut bestiae sine societate et conexu quodam vitam degere, praesertim cum etiam bestiolae quaedam bene instructam societatem inter se coniungant. V, II, 24: „— si ad curam reipublicae horteris, ostendas, apes etiam formicasque, non modo muta sed etiam parva animalia, in commune tamen laborare."

Rerum publicarum formae sunt tres. V, 10, 63: „Divisione autem adiuvari finitionem docet (Cicero) eamque differre a partitione, quod haec sit totius in partes, illa generis in formas. Partes incertas esse, ut Quibus con-

stet respublica; formas certas, ut Quot sint species rerum publicarum, quas tris accepimus, quae populi, quae paucorum, quae unius potestate regerentur." Oligarchiae fuisse amicum Nostrum mihi quidem eo effici videtur, quod populum saepius contemptu quodam perstringit. XII, 1, 26: „In hoc (officio oratoris) quota pars erit, quod aut innocentes tuebitur aut improborum scelera compescet aut in pecuniariis quaestionibus veritati contra calumniam aderit? Summus ille quidem in his quoque operibus fuerit, sed maioribus clarius elucebit, cum regenda senatus consilia et popularis error ad meliora ducendus". III, 8, 37: Nam consultant aut plures aut singuli, sed in utrisque differentia, quia et in pluribus multum interest senatus sit an populus, Romani an Fidenates, Graeci an barbari". Quo loco haud praetermittendus est ordo ac series, quibus singula composita sunt; in eundem enim ordinem referuntur senatus, Romani, Graeci, ac rursus populus, Fidenates, barbari. Quorum quibus maiorem dignitatem Quintilianus attribuerit, per se patet. — Monarchiae commoda haud ignorabat, nam totius civitatis quietem ac securitatem iure laudavit. VI, 1, 35: „Fuit quondam inter haec omnia potentissimum, quo L. Murenam Cicero accusantibus clarissimis viris eripuisse praecipue videtur, persuasitque nihil esse ad praesentem rerum statum utilius, quam pridie Calendas Januarias ingredi consulatum. Quod genus nostris temporibus totum paene sublatum est, cum omnia curae tutelaeque unius innixa periclitari nullo iudicii exitu possint." Alio tamen loco imperatoriam potestatem acerbissime castigat, quamvis haud consulto hoc eum fecisse contendam. V, 13, 6. 7: „Quodsi apud Principem aliumve, cui, utrum velit, liceat, dicendum erit", defensor crimine haud negato, pro reo veniam poscet. „Apud iudices quidem secundum legem dicturos sententiam de confessis praecipere ridiculum est". Quid? nonne gravissimum fere civitatis malum hoc, quod neglecta legum auctoritate secundum paucorum vel unius voluntatem rei damnantur aut absolvuntur? Atqui hanc licentiam ipse attribuit Principi. —

Immo *respublica constat legibus*, nam „ut corpora nostra sine mente ita civitas sine legibus suis partibus, ut nervis ac sanguine et membris uti non potest.“ (cf. V, 11, 25.) Quare qui has laedit, omnium simul securitatem perdit, itaque „ut hostis, sic malus civis.“ V, 11, 34.

Et legibus ipsis „custodibus civitatis“ et *magistratibus*, quorum cura et auctoritate leges sustinentur, summam *reverentiam debemus*. XI, 1, 67: „Praestatur hoc aliquando etiam dignitatibus, ut libertatis nostrae ratio reddatur, ne quis nos aut petulantes in laedendis eis aut etiam ambitiosos putet. Itaque Cicero, quanquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen praefatione excusavit officii sui necessitatem.“ Ceterum aliis magistratibus alio modo reverentia praestanda est, quoniam non omnes pari sunt gravitate. XI, 3, 156: „Movendi autem ratio aut in repraesentandis est aut imitandis affectibus. Ergo cum iudex in privatis aut praeco in publicis dicere de causa iusserit: leniter est consurgendum; tum in componenda toga, vel, si necesse erit, etiam ex integro iniicienda, duntaxat in iudiciis (apud principem enim et magistratus ac tribunalia non licebit) paulum commorandum, ut et amictus sit decentior et protinus aliquid spatii ad cogitandum. Etiam cum ad iudicem nos converterimus, et consultus praetor permiserit dicere: non protinus est erumpendum, sed danda brevis cogitationi mora. Mire enim auditurum dicturi cura delectat, et iudex se ipse componit.“ Iudices igitur, maximam partem rudes et rusticos, cunctando orator delectabit, apud principem et curules magistratus ad verbum adstabit.

Ac de magistratibus quoniam mentionem feci, apte hic adiungatur quaestio *de diversa ordinum auctoritate*. — Sicut iam supra dixi, Quintilianus vulgus humile et imperitum paullulum despexit, videamus igitur, quanti aut divitiarum aut nobilitatis laudem aestimaverit. Sed priusquam ad hanc rem accedam, paucis discrimen inter liberos et servos attingam. De qua differentia prudenter Quintilianus „liberos natura omnes et eisdem constare elementis

et fortasse antiquis etiam nobilibus ortos." (scil. servos.) III, 8, 31. cf. Iuv. XIV, 15—17: „Mitem animum et mores modicis erroribus aequos Praecipit atque animas servorum et corpora nostra Materia constare putat paribusque elementis;" — Sen. epist. 47. de ben. III, 28, init. — Liberi vero aut divitiis aut nobilitate differunt. De qua re egregie: „Omnia, inquit, quae extra nos bona sunt quaeque hominibus forte obtigerunt, non ideo laudantur, quod habuerit quis ea, sed quod his honeste sit usus. Nam divitiae et potentia et gratia, cum plurimum virium dent in utramque partem, certissimum faciunt morum experimentum, aut enim meliores propter haec aut peiores sumus." III, 7, 13. 14. cf. III, 7, 10. 13 init.: „Ante hominem patria ac parentes maioresque erunt, quorum duplex tractatus est: aut enim respondisse nobilitati pulchrum erit, aut humilius genus illustrasse factis. — „Fortuna vero tum dignitatem affert, ut in regibus principibusque (namque est haec materia ostendendae virtutis uberior.), tum quo minores opes fuerunt, maiorem bene factis gloriam parit." V, 11, 5: „Hoc in testium interrogatione valet plurimum, in oratione perpetua dissimile est; etenim sibi ipse respondet orator. Quod pomum generosissimum? puto, quod optimum; et equus? qui velocissimus: ita hominum, non qui claritate nascendi sed qui virtute maxime excellet XI, 1, 86—88: „Illud etiam in iocis monui, quam turpis esset fortunae insectatio, et ne in totos ordines aut gentes aut populos petulantia incurreret. Sed interim fides patrocinii cogit quaedam de universo genere aliquorum hominum dicere, libertinorum vel militum vel publicanorum vel similiter aliorum. In quibus omnibus commune remedium est, ut ea, quae laedunt, non libenter tractare videaris; nec in omnia impetum facias sed in id, quod expugnandum est; et reprehendens alia laude compenses: si cupidos milites dicas, sed non mirum, quod periculorum ac sanguinis maiora sibi deberi praemia putent; eosdem petulantes, sed hoc fieri, quod bellis magis quam paci assueverint. Libertinis detrahenda est auctoritas; licet iis testimonium red-

dere industriae, per quam exierint de servitute.“ — Attamen interdun admiratio quaedam et amor nobilitatis, paene invito Quintiliano, erumpit. Mortem enim filii vehementer lugens eam quoque moeroris causam profert, quod splendidae affinitatis spem acerba mors filio eripuerit. VI. pr. 13: „Tene consulari nuper adoptione ad omnium spes honorum prius admotum, te avunculo praetori generum destinatum, te, omnium spes, acutissimae eloquentiae candidatum?“

Adhuc restat, ut quae *de republica administranda* dicta sunt, colligam atque enarrem. Reipublicae administrandae dii ipsi optimum nobis dederunt exemplum, nam et mundum pulcherrime instruxerunt et regimine imperioque suo adhuc administrant. XII, 2, 21: „Nam si regitur providentia mundus: administranda certe bonis viris erit respublica.“ V, 10, 14: „Sic enim fiet argumentum, cum providentia mundus regatur, administranda est respublica; ut administranda respublica sit, si liquebit mundum providentia regi.“ Quod quidem Quintiliano liquere iam antea ostendimus. Quare respublica ipsa paene divinum quoddam est et inter quaestiones gravi viro dignissimas tractanda. XII, 2, 28: „Nam quae potest materia reperiri ad graviter copioseque dicendum magis abundans quam de virtute, de republica, de providentia, de origine animorum, de amicitia?“ Itaque boni viri erunt vere civiles minimeque abhorrebunt ab administratione reipublicae civilibusque officiis. Prooem. 10: „Neque enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae (ut quidam putaverunt) ad philosophos relegandam; cum vir ille vere civilis et publicarum privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis possit, non alius sit profecto quam orator.“ XI, 1, 35: „At vir civilis vereque sapiens, qui se non otiosis disputationibus, sed administrationibus reipublicae dediderit, a qua longissime isti, qui philosophi vocantur, recesserunt, omnia, quae ad efficiendum oratione, quod proposuerit, valent, libenter adhibebit: cum prius, quid

honestum sit, efficere in animo suo constituerit.“ XII, 2, 6. 7: „Quapropter haec exhortatio mea non eo pertinct, ut esse oratorem philosophum velim, quando non alia vitae secta longius a civilibus officiis atque ab omni munere oratoris recessit. Nam quis philosophorum aut in iudiciis frequens aut clarus in contionibus fuit? Quis denique in ipsa, quam maxime plerique praecipiunt, reipublicae administratione versatus est? Atque ego illum, quem instituo, Romanum quendam velim esse sapientem, qui non secretis disputationibus, sed rerum experimentis atque operibus vere civilem virum exhibeat.“

Haec fere erant, quae de postrema parte ethices in Quintiliani libro inveni atque collegi.

De morali philosophia sive de ethice disserit Noster XII, 2. 15—20. Quae nos huic disciplinae subiecta esse dicimus, ea omnia apud Quintilianum quoque deprehendimus. Primum enim commemorantur tractatus aequi ac boni, honcsti, recti pravique §. 15. 16, deinde quaestiones de iustitia, fortitudine, abstinentia, temperantia, pietate, aliis, §. 17., postremo quaestiones iuris omnis §. 20, quae omnia deinceps nostris partibus subiungi posse quivis videt. De conexu ethices et physices vid. p. 17 extr.

Cap. III. De dialectice.

XII, 2, 10—14. Dialecticen Quintilianus rationalem philosophiam sive disputatricem appellat. „Tota, inquit, versatur in verbis.“ Dialectici enim est „et proprietates vocis cuiusque nosse et ambigua aperire et perplexa discernere et de falsis iudicare et colligere ac resolvere, quae velis.“ „Utilis saepe (scil. dialectice) et finitionibus et comprehensionibus et separandis, quae sunt differentia, et resolvenda ambiguitate distinguendo, dividendo, illiciendo, implicando.“ Ceterum praeter hunc locum in Quintiliani libro de dialectice nihil inveni, nisi forte VIII, 3 similiaque huc trahas, quod caput finitionem quidem tractat, sed oratoriam tantum, parumque facit ad finitionis notionem ipsamque rationem.

De ratione inter Quintilianum et Graecos intercedente.

Hac in quaestione primum attingam *litteras* Graecas, tum illud *discrimen Graecae et Latinae linguae*, postremo *proprietatem Graecae nationis.*

Latinas litteras Quintilianus existimat effluxisse ex Graecis. I, 1, 12: „Disciplinis Graecis puer prius instituendus est, unde et nostrae fluxerunt.“ XII, 10, 27: „Latina mihi facundia inventione, dispositione, consilio, ceteris huius generis artibus similis Graecae ac prorsus discipula eius videtur.“ — Quare non mirum, quod Quintilianus in disciplina sua Graecos etiam magis quam populares sequitur. Diserte hoc dicit IX, 4, 79: „Ciceronem sequar, (nam is eminentissimos Graecorum est secutus.)“ III, 6, 80: „Credendum est igitur his, quorum auctoritatem secutus est Cicero, tria esse, (scil. in omni disputatione) an sit? quid sit? quale sit?“ Sed quinam sunt illi, quos Cicero secutus est? Graeci sine dubio. cf. X, 1, 108. Graecis igitur credendum est. cf. V, 13, 60: „Quid ipse sentiam, id est, quid clarissimos oratores fecisse videam, non tacebo.“ Itaque quo plures ac praestantiores oratores exstiterunt Graeci quam Latini, eo magis Quintilianus ad Graecos inclinat.

Quare in singulis quoque quaestionibus, quae ad oratoriam artem pertinent, Graecos testes persaepe ad partes vocat, Romanos aut plane omittit, aut perpaucos tantum attingit, sive Romani his rebus minus studuerunt, sive tam procul a vero recesserunt, ut Quintilianus perversas popularium sententias commemoratione indignas haberet. Cuius rei exempla quaedam afferam. Quo loco de aetate institutioni idonea disserit, eorum qui septimum annum

esse primum, quo puer apte instituatur, arbitrantur, affert Hesiodum, immo scriptorem eius libri, qui ὑποθῆκαι inscribitur, et Eratosthenem, eorum, qui nullum tempus vacare institutione volunt, Chrysippum; Romanum non commemorat. I, 1, 15. 16. — Dubitari solebat, quot essent partes orationis. Apud Quintilianum invenimus Aristotelem et Theodectem, qui tres esse volunt, Stoicos, qui novem, Aristarchum, qui octo; Romanum non invenimus. I, 4, 18—20. — Ubi grammaticen et musicen antiquitus coniunctas fuisse confirmat, his argumentis utitur. Utriusque rei praeceptores fuisse Sophronem et Prodamum; apud Graecos duabus his rebus pueros institui solere, ut is, qui alterius imperitus sit, indoctior habeatur. Testes sunt Aristophanes, Menander, Themistocles. Sed claudicat argumentatio, ubi Romanos his adiungit. Nam quod cantica in conviviis veterum Romanorum, Saliorumque carmina affert, hac re nihil affirmatur, nisi quod veteres Romani carmina recitaverunt. Itaque etiam hoc loco solis nititur Graecis. I, 10, 16—20. Quid? nonne in musice eam partitionem recipit, quam Aristoxenus fecerat, musicam dividens in ῥυθμόν atque μέλος? I, 10, 22. — Sed ne hoc quidem praetermittendum est, quod Quintilianus de corpore exercendo ac formando dicit. A summis optimisque Graeciae viris atque ipso etiam Socrate id probatum a Platone in parte civilium virtutum positum, a Chrysippo in praeceptis de liberorum educatione compositis non omissum est. Quorum documentorum cum dignitate et auctoritate male consentiunt pauca verba Crassi, quibus ad Romanos Noster transit. („orator utatur laterum inclinatione forti ac virili.“ I, 11, 18.) — Libro II multorum sententiae de fine rhetorices percensentur. De qua re sunt Graeci auctores Isocrates, Gorgias, Theodectes, Apollodorus, Aristoteles, Hermagoras, Patrocles, Diodorus, Ariston, Theodorus Gadareus, Chrysippus, Areus; Latini inveniuntur, quos Quintilianus mentione dignos putat, nulli nisi Cicero, Cornelius Celsus, Albutius.

Itaque, cum in litteris Quintiliano Latini Graecorum

quasi discipuli viderentur, etiam optimos et praeclarissimos Latinorum scriptorum proxime tantum accessisse ad Graecos dicit; etiam Cicero atque Vergilius Graecos, scilicet suis in partibus, superavisse ei non videntur. cf. X, 1, 81. 108. 123. — X, 1, 85. 86. cf. X, 1, 93: „Elegia quoque Graecos provocamus.“ X, 1, 101: „At non historia cesserit Graecis, nec opponere Thucididi Salustium verear.“ X, 1, 105: „Oratores vero vel praecipue Latinam eloquentiam parem facere possint Graecae.“ X, 1, 98: Iam Varii Thyestes cuilibet Graecarum comparari potest.“ Itaque, quamvis singuli scriptores Graeci compluribus locis levius acrius perstringantur, universis tamen Graecorum litteris summum et clarissimum locum attribuit, quoniam singula Latinarum litterarum genera ita percenset, ut quo propius ad Graecorum operum dignitatem et pulchritudinem accedant, eo pluris aestimet.

Iam ex his, quae adhuc dicta sunt, apparet, Quintilianum Graecis studiis penitus imbutum fuisse. Quod etiamsi ex toto libro institutionis oratoriae clarissime elucet, iam eo, opinor, confirmari potest, quod adagiis Graecis identidem Quintilianus utitur. Nam in ipsa quasi adyta peregrinae linguae penetraverit necesse est, qui proverbia eius amplexus est. Adagia Graeca inveniuntur I, 10, 21: „Denique in proverbium usque Graecorum celebratum est, *Indoctos a Musis atque a Gratiis abesse.*“ cf. Spald. ad h. l. V, 14, 31: „Feratur ergo non semitis sed campis eloquentia, non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut beatissimi amnes totis vallibus fluunt, ac sibi viam, si quando non acceperit, faciat. Nam quid illa miserius lege velut praeformatas infantibus litteras persequentium et, ut Graeci dicere solent, *quem mater amictum dedit*, *sollicite custodientium*: etc. VIII, 6, 52: „Est in exemplis allegoria, si non praedicta ratione ponantur. Nam ut *Dionysium Corinthi esse*, quo Graeci omnes utuntur: ita plurima similia dici possunt.“ XI, 3, 30: „Non enim sine causa dicitur *barbarum Graecumve.*“ cf. Spald. ad h. l.

Atque litteris iam tractatis transeamus ad linguam

utriusque gentis. — De affinitate et conexu quodam utriusque linguae cum tota antiquitas tum Quintilianus haud dubitaverunt, quin Graecorum et Latinorum sermo aliquo modo inter se cohaereat. Rectam quidem causam huius cognationis, quam recentiores homines docti nuper invenerunt, veteres nondum intelligebant. Itaque etiam Quintilianus Romanum sermonem maxima ex parte a Graecis esse conversum putavit. I, 5, 58. Quamobrem et ipse quaedam vocabula Latina e Graecis ducit, velut „tenorem" ex illo, quod τόνον Graeci vocant, „agrum" e Graeco vocabulo ἀγρός, et alii homines docti etiam declinationem Latinorum verborum ad Graecorum imaginem formari voluerunt, ut „pater, patris" positum esse confirmarent, cum Graece diceretur πατήρ, πατρός, sed „aper, apri," quia, κάπρος, κάπρου haberent. I, 6, 13. — Tamen in hac quoque quaestione non in transcursu et obiter rem tractat, sed altius descendit eamque accuratius perquirit. Itaque Latinum sermonem ex Aeolico genere discendi et maxime declinatum et ei simillimum esse contendit. I, 6, 37. Quorum alterum quidem recte dici potest.

Sed praevertamur ad ipsum Graecorum sermonem; quem maxime a Latino differre copia, proprietate, facilitate, iucunditate existimat.

Copia imprimis dialectis efficitur. XII, 10, 34: „At illis (Graecis) non modo verborum, sed linguarum etiam inter se differentium copia est." Quarum Quintilianus Atticam, Doricam, Ionicam, Aeolicam commemorat. VIII, 3, 59. At hic unam omisit, nam ex aliis locis constat, quinque fuisse Graecae linguae genera. XI, 2, 50: „Ceterum quantum natura studioque valeat memoria, vel Themistocles testis, quem unum intra annum optime locutum esse Persice constat; vel Mithridates, cui duas et viginti linguas, quot nationibus imperabat, traditur notas fuisse; vel Crassus ille dives, qui, cum Asiae praeesset, quinque Graeci sermonis differentias sic tenuit, ut, qua quisque apud eum lingua postulasset, eadem ius sibi redditum ferret." Val. Max. VIII, 7, 6: „Iam P. Crassus, cum in Asiam ad Aristoni-

cum regem debellandum consul venisset, tanta cura Graecae lingua notitiam animo comprehendit, ut eam in quinque divisam genera per omnes partes ac numeros penitus cognosceret. Quae res maximum ei sociorum amorem conciliavit, qua quis eorum lingua apud tribunal illius postulaverat, eadem decreta reddenti." — Dialectorum ratio atque proprietas diversa est. Ionica iucunditate excellit. IX, 4, 18: „In Herodoto vero cum omnia (ut ego quidem sentio) leniter fluunt, tum ipsa διάλεκτος habet eam iucunditatem, ut latentes etiam numeros complexa videatur." — Atticis propria est gratia quaedam. X, 1, 65: „Antiqua comoedia cum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum etc." 99, 100: „In comoedia maxime claudicamus, licet Varro Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent, licet Caecilium veteres laudibus ferant, licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur; quae tamen sunt in hoc genere elegantissima et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent. Vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, cum eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint." — Aeolica dialectus Latino sermoni simillima est. I, 6, 37. (cf. p. 36.)

Sed etiam excepta hac dialectorum varietate, Latinus sermo a Graeco copia verborum superatur. cf. III, 3, 9: „Oeconomia, quae Graece appellata ex cura rerum domesticarum et hic per abusionem posita nomine Latino caret." III, 6, 97: „Nothum, qui non sit legitimus, Graeci vocant; Latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam testatus est, non habemus ideoque utimur peregrino." V, 10, 1: „Nunc de argumentis. Hoc enim nomine complectimur omnia, quae Graeci ἐνθυμήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις vocant, quamquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiamsi vis eodem fere tendit." VI, 2, 8: „Alteram speciem affectuum Graeci πάθος vocant, quod nos vertentes recte ac proprie affectum dicimus, alteram ἦθος,

cuius nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo Romanus." XII, 10, 34: „His illa potentiora, quod res plurimae carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre aut circumire; etiam in iis, quae denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit; at illis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium copia est."

De maiore *proprietate* Graeci sermonis vide III, 6, 25. 26: Duo habere Graecos vocabula, quibus tempus significent, χρόνον et καιρόν. IV, 1, 1—3: „Quod Latine principium vel exordium dicitur, maiore quadam ratione Graeci videntur προοίμιον nominasse, quia a nostris initium modo significatur, illi satis clare partem hanc esse ante ingressum rei, de qua dicendum sit, ostendunt." V, 10, 1. (cf. supra p. 37.) IX, 2, 44: „Εἰρωνείαν, inveni, qui dissimulationem vocarent; quo nomine quia parum totius huius figurae vires videntur ostendi, nimirum sicut in plerisque erimus Graeca appellatione contenti." X, 5, 2: „Id Messallae placuit, (vertere Graeca in Latinum) multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes, adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne difficillima Romanis subtilitate contenderet."

Facilitate quoque sermonis Graeci Latinos vincunt. I, 5, 32: Quintilianus „feliciores fingendis nominibus" Graecos vocat. Item I, 5, 72 ὀνοματοποιίαν Latinae linguae adimit. Etiam compositionem verborum magis Graecos decere, Latinis minus succedere; nec id fieri natura putat, sed alienis Latinos favere. „Ideoque cum κυρταύχενα mirati simus, incurvicervicum vix a risu defendimus." At ipse dixerat, (I, 5, 67) dure Pacuvium struxisse „Nerei repandirostrum, incurvicervicum pecus." Itaque ipse non peregrinae linguae amore, sed inopia quadam et duritate Latini sermonis commotus est, ut illud verbum reiiceret. III, 8, 25: „Melius igitur, qui tertiam partem dixerunt δυνατὸν, quod nostri possibile nominant, quae ut dura videatur appellatio, tamen sola est." VIII, 3, 30. 31: „Fingere Graecis magis concessum est, qui sonis etiam quibusdam

et affectibus non dubitaverunt nomina aptare, non alia libertate, quam qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Nostri autem in iungendo aut in derivando paulum aliquid ausi vix in hoc satis recipiuntur." cf. §. 31—37. VIII, 6, 31: „'Ονοματοποιΐα quidem, id est fictio nominis, Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur." cf. §. 31—33. VIII, 6, 37: „Superest ex his, quae aliter significant, μετάληψις, id est transumptio, quae ex alio tropo in alium velut viam praestat; et rarissimus et maxime improprius Graecis tamen frequentior, qui „Centaurum" Chirona et „saxosas insulas" νήσους θοὰς dicunt. Nos quis ferat, si Verrem „suem" aut Laelium „doctum" nominemus?" IX, 1, 22: „Sed antequam, quae cuique rei figura conveniat, ostendo: dicendum est, nequaquam eas esse tam multas, quam sint a quibusdam constitutae. Neque enim me movent nomina illa, quae fingere utique Graecis promptissimum est." X, 1, 107: „Salibus certe et commiseratione, qui duo plurimum affectus valent, vincimus. (Comparantur hoc loco Cicero et Demosthenes.) Et fortasse epilogos illi (Demostheni) mos civitatis abstulerit; sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa Latini sermonis ratio minus permiserit."

Iam vero *iucundidate* Latinus sermo superatur. XII, 10, 27—34: „Namque est ipsis statim sonis durior (Latina facundia) quando et iucundissimas ex Graecis litteras non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem (υ et φ) quibus nullae apud eos dulcius spirant; quas mutuari solemus, quotiens illorum nominibus utimur. 30: Duras et illa syllabas facit, quae ad coniungendas demum subiectas sibi vocales est utilis, alias supervacua, ut „equos" hac et „equum" scribimus; cum etiam ipsae hae vocales duae efficiant sonum, qualis apud Graecos nullus est, ideoque scribi illorum litteris non potest. 31: Quid? quod pleraque nos illa quasi mugiente littera cludimus M, qua nullum Graece verbum cadit: at illi ny iucundam et in fine praecipue quasi tinnientem illius loco ponunt, quae est apud nos rarissima in clausulis. 32: Quid? quod syllabae nostrae in

B litteram et D innituntur adeo aspere, ut plerique non antiquissimorum quidem sed tamen veterum mollire temptaverint non solum „aversa“ pro „abversis“ dicendo sed et in praepositione B litterae absonam et ipsam S subiiciendo. 33: Sed accentus quoque, cum rigore quodam, tum similitudine ipsa, minus suaves habemus; quia ultima syllaba nec acuta unquam excitatur nec flexa circumducitur, sed in gravem vel duas graves cadit semper. Itaque tanto est sermo Graecus Latino iucundior, ut nostri poetae, quotiens dulce carmen esse voluerint, illorum id nominibus exornent.“ cf. Persius I, 99—102.

Iam mihi dicendum erit de vocabulis Graecis, quae in libro Quintiliani deprehenduntur permulta. Nam ipse dixerat, ubique utendum esse Graecis, ubi Latinis certa quaedam vocabula deessent aut ex Graecis transversio parum propria esset. Atqui tum quaestio exorta erat, an eadem ratione qua Latina, etiam Graeca verba declinare conveniret. cf. I, 5, 58—63. De qua re: „Nunc recentiores, inquit, instituerunt Graecis nominibus Graecas declinationes potius dare, quod tamen ipsum non semper fieri potest. Mihi autem placet Latinam rationem sequi, quousque patietur decor. Neque enim iam „Calypsonem“ dixerim ut Iunonem, quamquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi. Sed auctoritatem consuetudo superavit.“ Decorem eum sequi videmus I, 4, 20, ubi „Palaemon“ dicit, cum ipse antiquarios retinuisse confirmet, ut „Palaemo“ diceretur. I, 5, 60. Ceterum Graecas declinationes ipse plerumque usurpavit, sive decor ei pati non videbatur, ut in Graecis nominibus Latinam rationem sequeretur, sive Graecarum formarum amore commotus proposito cessit. Sed de hac re Bonnellius in lexico Quintilianeo p. XXI—XXV tam accurate disputavit, ut pauca tantum adiungere possim. Rem ipsam vir doctissimus egregie illustravit. Quae vero addenda videntur, sunt haec.

p. XXII. „Contra in Masculinis in as frequentissimum est an, ut *Demean*, 7, 9, 10. 8, 2, 16.“ B. Exemplis hic

enumeratis adde *Pythagoran*, I, 10, 32. *Gorgian* IX, 2, 102. — „En est usitata forma et in Femininis ..... et in Masculinis." B. Exemplis adde *pancratiasten* II, 8, 13. *Demaden* II, 17, 12. XII, 10, 49. *hypocriten* II, 17, 12. *Socraten* III, 1, 11. *Aristotelen* III, 7, 19. *Tydiden* VIII, 6, 30. *Thucydiden* X, 1, 33. (at Thucydidem X, 2, 17.) *Euripiden* X, 1, 67. *Demosthenen* X, 1, 105. XI, 3, 97. XII, 6, 1. (at Demosthenem XII, 2, 22.) *Praxitelen* XII, 10, 9. At Andocidem. XII, 10, 21.

p. XXIII. „d) Ablativus primae positionis e et es plerumque desinit in e, nam *musica* tantum II, 3, 41 reperitur." B. Adde I, 7, 34 *grammatica*, II, 21, 17 *musica*.

p. XXIV. „Arbitror Nostrum Nominativum Masculinorum (scil. tertiae declin.) ubique o et n literis, non o finiisse, in qua opinione et ipsius verbis I, 5, 60, exemplorum copia confirmor, ut *Aglaophon*, 12, 10, 3," alia. B. Adde *Molon* III, 1, 16. p. XXIV. „In Accusativo Sing. haec eadem Nomina (-on, onis) partim in *ona* exeunt, partim in *onem*, ut *Platonem*, II, 2. 9", B. Adde *Euphorionem* X, 1, *Agamemnonem* IX, 3, 57. XI, 1, 37. „Porro servata est Latina forma in „*Chremetem*, 8, 2, 10. et in iis, quae *Euphranorem* 12, 10, 12 et *Aristophontem* 5, 12, 10 sequuntur." B. Itaque *Castorem* I, 5, 60. *rhetorem* pr. 21. II, 4, 2. *Antiphontem* XII, 10, 22. *Xenophontem* XII, 10, 4. „At Graeca (forma servata est) in *Coraca* 2, 17, 7, *Cyclopa* 8, 3, 84." B. At *Phoenicem* II, 17, 8.

p. XXV. „Adde (scil. ad Accusativos ut *thesin) tribrachyn* atque e contrario *Busiridem*." B. Adde quoque *tyrannidem* V, 11, 8. VII, 2, 11. 49. Omisit Bonnellius Neutra in *α*, ατος, quorum Genetivum Quintilianus tum in *tis* facit, *enthymematis* V, 14, 4. *epichirematis* V, 14, 14 *epiphonematis* VIII, 6, 11. tum in *tos. epichirematos* V, 14, 5. *schematos* IX, 1, 7. —

Quoniam vero Graecorum cum litteras tum rhetoricen prius quam Romanorum excultas esse, et Graecam linguam multo copiosiorem et fingendis nominibus aptiorem esse quam Latinam scimus, haud mirabimur, quod Romani longe

plurima vocabula, quae ad oratoriam artem pertinent, a Graecis mutuati sunt. De qua re cf. II, 14, 1: Rhetoricen in Latinum transferentes tum oratoriam tum oratricem nominaverunt. Quos equidem non fraudaverim debita laude, quod copiam Romani sermonis augere temptarint. Sed non omnia nos ducentes ex Graeco sequuntur, sicut ne illos quidem, quotiens suis utique verbis signare nostra voluerunt." §. 4: „Ne pugnemus igitur (de oratoria aut oratrice) cum praesertim plurimis alioqui Graecis sit utendum. Nam certe et philosophos et musicos et geometras dicam, nec vim afferam nominibus his indecora in Latinum sermonem mutatione." cf. p. 34: „Mihi placet Latinam rationem sequi, quousque patietur decor."

Sed tantum aberat Noster, ut popularium sermonem contemneret, ut omnibus fere vocabulis Graecis Latinam quasi interpretationem adiiceret. Itaque paene innumerabilibus locis eiusmodi dicta reperiuntur:*)

Schemata, id est figurae. I, 8, 16. — Glossemata, id est voces minus usitatae. I, 8, 15. — Interpretatio linguae secretioris, quas γλώσσας Graeci vocant. I, 1, 35. — Plura loquendi genera, quas διαλέκτους Graeci vocant. I, 5, 29. — Orbis ille doctrinae, quam Graeci ἔγκυκλον παιδείαν vocant. I, 10, 1. — Corporis quoque actus et decens motus, qui dicitur εὐρυθμία. I, 10, 26. — Pleniore quodam sono, quod Graeci καταπεπλασμένον dicunt. I. 11, 6. — Haec chironomia, quae est, ut nomine ipso declaratur, lex gestus. I, 11, 17.

Quin etiam ulterius Quintilianus procedit. Ipse enim vocabula quaedam, nondum Latine versa, in Latinum sermonem transferre conatur, aut meliorem quam quae iam facta erat, versionem introducere, aut inter plures iam exstantes optimam notare. Cuius rei documenta, eodem quo modo dixi, ordine collecta hic apponam.**)

*) Quae hic enumerata sunt, e primo tantum libro apposui Plurima continet lib. IX..

**) Inter primi generis documenta eos tantum locos enumeravi, ubi Graeca vocabula uno solum Latino verbo vertuntur. Omisi

1. Tenores (quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi, videlicet declinato a Graecis verbo, qui τόνους dicunt) vel *accentus*, quas Graeci προσῳδίας vocant. I, 5, 22. cf. XII, 10, 33. — *Complexio* quam συναίρεσιν et συναλοιφὴν Graeci vocant. I, 5,217. — *Civilis vir* quem πολιτικὸν vocant. Pr. 10. 11. I, 10, 15. — Κεῖσθαι, quod est *compositum esse quodam modo*. III, 6, 24. — Argumentum ex *circumstantia*, quia περίστασιν aliter dicere non possumus. V, 10, 104. — Argumenta *e fictione*, quod Graeci καθ' ὑπόθεσειν vocant. V, 10, 95. — Oratio ἀσχημάτιστος, id est carens figuris, oratio ἐσχηματισμένη, id est *figurata*. IX, 1, 13. cf. IX, 1, 9: „Tam enim translatis verbis quam propriis figuratur oratio." — „Ideoque illas (probationes) ἀτέχνους, id est *inartificiales*, vocaverunt. V, 1, 1. cf. V, 5, 2. — Usus quidam *irrationalis*, quem Graeci ἄλογον τριβὴν vocant. X, 7, 11. — His tribus narrandi virtutibus adiiciunt quidam *magnificentiam*, quam μεγαλοπρέπειαν vocant. IV, 2, 61. cf. X, 1, 61. — *Promiscua*, quae epicoena dicuntur. I, 4, 24. — Ἀναστροφὴ, *reversio* quaedam. VIII, 6, 65, — Plato in Sophiste iudiciali et contionali (scil. parti rhetorices) tertiam adiecit προσομιλητικὴν, quam sane permittamus nobis dicere *sermocinatricem*. III, 4, 10. — Μετάληψις id est *transsumptio*. VIII, 6, 37. — Praecepta quae καθολικὰ vocitant, id est (ut dicamus quomodo possumus) *universalia* vel *perpetualia*. II, 13, 14. — Sola est, quae notari possit velut *vocalitas*, quae εὐφωνία dicitur. I, 5, 24.

2. I, 4, 18: „Veteres enim, quorum fuerunt Aristoteles quoque atque Theodectes, verba modo et nomina et *convinctiones* tradiderunt; videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam, (quia alterum est, quod loquimur, alterum de quo loquimur,) in *convinctionibus* autem complexum eorum esse iudicaverunt; quas coniunctiones a plerisque dici scio, sed haec videtur ex συνδέσμῳ magis propria trans-

illos locos, ubi Quintilianus, Graecam vocem compluribus Latinis circumscribit, velut IX, 3, 68: „Cui confinis est ἀντανάκλασις eiusdem verbi contraria significatio."

latio." cf. §. 19. — IX, 2, 27: *Oratio libera*, quam Cornificius licentiam vocat, Graeci παρρησίαν. — IX, 3, 81: *Contrapositum* vel, ut quidam vocant, contentio (ἀντίθετον dicitur.) cf. §. 32. 83. 102. — III, 5, 5: Item convenit, quaestiones esse aut infinitas aut finitas. *Infinitae* sunt, quae remotis personis et temporibus et locis ceterisque similibus in utramque partem tractantur, quod Graeci θέσιν dicunt, Cicero propositum, alii quaestiones universales civiles, alii quaestiones philosopho convenientes, Athenaeus partem causae apellat." cf. III, 6, 81. X. 5, 11. — *Praesumptio*, quae πρόληψις dicitur. IX, 2, 16. 18 (Cic de orat. 3. 53 anteoccupatio.)

3. Analogia, quam proxime ex Graeco transferentes in Latinum „*proportionem*" vocaverunt. I, 6, 3. cf. I, 5, 9.

De *fictione Latinorum verborum* disserit Noster VIII, 3, 30—37. 33: „Multa ex Graeco formata nova ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quaedam admodum videntur, ut *ens* et *essentia*; quae cur tantopere aspernemur nihil video, nisi quod iniqui iudices adversus nos sumus ideoque paupertate sermonis laboramus. Quaedam tamen perdurant. 36: Audendum itaque; neque enim accedo Celso, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam, cum sint eorum alia (ut dicit Cicero) nativa, id est, quae significata sunt primo sensu, alia reperta, quae ex his facta sunt; ut iam nobis ponere alia, quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non sit: at derivare, flectere, coniungere, quod natis postea concessum est, quando desiit licere? 37: Et, si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est: Ut ita dicam, Si licet dicere, Quodam modo, Permittite mihi sic uti. Quod idem etiam in iis, quae licentius translata erunt, proderit, nihilque non tuto dici potest, in quo non falli iudicium nostrum sollicitudine ipsa manifestum erit. Qua de re Graecum illud elegantissimum est, quo praecipitur προεπιπλήσσειν τῇ ὑπερβολῇ."

Videmus igitur Quintilianum Latinum sermonem Graecae linguae nullo modo condonare. Quocum bene congruit, quod semper fere Graecorum scriptorum locos citatos La-

tine vertit, velut II, 15, 13 (Aristot.) — V, 12. 10. V, 14, 4. XI, 1, 22. IX, 3, 55 (Dem.) — VIII, 4, 24. X, 1, 46. XI, 3, 158. XII, 10, 64. 65. (Hom.) — IX, 3, 55. Quin etiam proverbia Graeca in Latinum sermonem transfert. S. p. 36. — Contra paucis tantum locis ipsa Graecorum scriptorum verba deprehendimus. Nam IX, 4, 63. 64. IX, 4, 78, similia protinus excipienda videntur, quoniam Quintilianus his locis de numeris aut bene aut male fluentibus disserit, qui in quibusdam verbis Demosthenis animadversi sint, ubi Latina versio argumentationem nimirum irritam reddidisset. At sine ulla causa Quintiliano Graeca verba exciderunt VIII, 3, 37. IV, 2. 131. (Dem.), Utroque loco paucissima tantum verba deprehendimus; latius patentem locum equidem inveni nusquam, nisi II, 15, 27. 28. (e Gorgia Platonis.)

Itaque, omnia quae adhuc dicta sunt, complexi facile concedemus, Quintilianum, quamvis Graecae linguae praestantiam bene intelligeret, tamen pro patrio sermone tamquam pro aris et focis fortiter ac strenue pugnavisse.

Tertium erat, quod mihi proposueram, ut quae in „oratoria institutione“ de Graeca natione dicta essent, colligerem. Nam cum litteras ingeniumque Graecorum homines doctissimi admirarentur omnes, mores tamen eorum honestissimus quisque castigare solebat Qua in re Quintilianus uno tantum loco, I, 8, 6, in transcursu nimiam Graecorum lyricorum licentiam leviter perstringit.— Qualis autem duabus praeclarissimis antiquitatis nationibus opinio steterit in animis et Quintiliani ipsius et aequalium, apertissime et dilucide nobis ille locus libri III ostendit: „Multum interest, senatus consultet an populus, Romani an Fidenates, Graeci an barbari.“ — (cf. p. 36: „Non enim sine causa dicitur Barbarum Graecumve.“) Opponuntur igitur Romani Fidenatibus, vilissimo etiamtum municipio, Graeci barbaris, qui quam obrem compositi sint, per se patet. Itaque videmus, Romanos Quintiliano visos esse, ac iure quidem, amplissimae

urbis incolas, imperio suo mundum moderantes, omnium quae tum essent nationum potentissimam ac gravissimam, dominos orbis terrarum, Graecis contra attribuisse maximam inter omnes gentes indolem, eruditionem, humanitatem.

VITA.

Carolus Henricus Iulius Babucke natus sum Regimonti die VI mens. Ian. MDCCCXLI, patre Carolo, matre Guilelma e gente Wollenteit, quos adhuc vivos veneror. Confessioni Evangelicae addictus sum. Litterarum initiis imbutus in puerorum ludo, cui adhuc praeest vir humanissimus Winkler, in eam scholam me contuli, quam vocant Bürgerschule auf der Burg. Qua absoluta gymnasium Cniphoviense frequentavi, cuius in secundam classem receptus sum. Quadriennio post cum maturitatis testimonio dimissus, a prof. ill. Rosenkranz, tum prorectore magnifico, Academiae albertinae civis factus et apud facultatem philosophicam nomen professus sum. Docuerunt me per quinque annos prof. ill. Lehrs historiam litter. Graec. syntaxin Graec. doctrinam Metricam, antiquit. Graec. interpretationem epist. et satir. Horatii, Aristoph. avium, Hesiod. op. et dies. scut. Herc. Aeschyl. Eumen. Cicer. orat. in Verr. Thucyd. Pers. satir. Pind. carm. Sophocl. Antig. Encyclop. philolog.; — prof. ill. Friedländer hist litter. Latin. Interpret. statuar. gypso confect. quae in nostro museo conservantur, Doctrin. epigraphic. Antiquit. Latin. Descriptionem Herculani et Pompeiorum, Topographiam Urbis. Historiam antiquae artis, Interpret. Iuvenal satir. Catull. carm. Plauti Mostell et Trinumm. Tacit. Annal. Petron. satir. Propert. carm. — prof.

ill. Rosenkranz Politica, Histor. philos. Francogall. — Ethicen. Psychologiam. — prof. ill. Schade, grammaticen Theotiscam prof. ill. Hagen histor. pictur. Italicae.

His omnibus viris neque minus illis, qui antea litteras me docuerunt, gratias ago quam maximas, semperque gratiam habebo.

END OF TITLE